



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ad Leonem X. Pontificem Maximvm

[Straßburg], 1519

VD16 L 3409

Conclusio LXXXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34717

M. L. RESOLUTIONES DE VIRTUTE IN
delium, struit unam tantum Basilicam sancti Petri.

AD hanc quidem & similes ego dico, non est nostrum iudicare uoluntatem Papæ, sed tantummodo ferre, etiã si quando fuerit iniquissima, ut supra dixi. Verum monendus tamen est, & præcones ueniarum, ut nõ detur tam manifesta occasio populis loquendi, sicut olim Heli sacerdos fecit, ut propter filios suos, homines detraherent sacrificio domini. Si tamen mens Papæ unquam fuit, ecclesiam sancti Petri, tot pecunijs corrasis ædificari, & non potius eorum, qui facilitate eius, in suum lucrum abutuntur. Non est necesse literis tradere, quid passim de structura illa fabulentur det dominus ut mentiar, nõ diu poterit ista exactio prospera esse.

CONCLUSIO LXXXVII.

Quid remittit aut participat papa ipsi, qui per contritionem perfectam, ius habent plenariæ remissionis, & participationis?

HÆC inde uenit, quod multi etiam iuriste nescire se dicant quid sit remissio culpæ per clauis, de qua supra meum sensum dixi.

CONCLUSIO LXXXVIII.

Quid adderetur ecclesiæ boni maioris, si Papa sicut semel facit, ita centies in die cuiuslibet fidelium, has remissiones & participationes tribueret.

HIC mire mira, alij communem thesaurum fingunt, qui per indulgentias augeant. Et ideo si homo septies in die remissionem plenariam obtinet, ut in urbe potest fieri, tanto plura bona consequetur. Hi sibi ipsi contrarij sunt, quod indulgentiæ sint expensioes thesauri secundum eos, ergo non collectiones. Alij iuxta diuisionem continui in infinitum, remitti putant peccata, sicut diuidit in semper diuisibilia lignum, ita remittunt peccata, semper remissibilia ulterius, licet semper minora fiant. Ego fateor me nescire quid dicam.

CONCLUSIO LXXXIX.

Ex quo Papa salutem querit animarum per uenias, magis quam pecunias, cur suspendit literas & uenias iam olim concessas, cum sint æque efficaces.

HÆC maxime omnium urit & displicet, & fateor magna cum specie, illa enim suspensio, unica est causa, quod uilescunt indulgentiæ.